



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

[iv].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

adjectionem unius palmi fieret infinita, cùm palmus ultimus immediate sequens hos palmos finitos finite distantes à primò , distet infinitè à primò : non erunt etiā infiniti ; implicat enim inter palmos finite distantes à primo non dari ultimum. Nec dicas : inter hominem & lapidem , veluti duos terminos extrinsecos , clauduntur infinitæ species creaturarum possibilium : nam hoc permisso , homo & lapis non erunt tales termini , vi quorum possit assignari ex illis creaturis intermediis ultima , sicut vi termini intrinseci , quo clauditur infinita linea , vel extrinseci V. G. spatii contingentis proximè lineam infinitam , demonstrari potest ultimum lineæ.

IV. Non tamen hæc similesve rationes , quibus infinitum categorematicum oppugnatur , militant pariter contra syncategorematicum ; sicut enim implicat , infinita syncategorematica secundum se tota poni , propter potentialitatem , quam essentialiter includunt , sic implicat illa secundum se tota ad invicem cōparari , & dici majora vel minora , sive secundum collectionem illam infinitam (quæ utpote chimærica nunquā erit) habere

æqualitatem vel inæqualitatem ; nisi forte
inæqualitatem aliquam negativam, quatenus
æqualitate positiva carent. Dicere itaq; non
possum : decem , & plures & plures (quali-
ter exprimendum est infinitum syncategore-
maticum) sunt pauciores, quām viginti, &
plures & plures , nisi illud *plures* & *plures*
determines ; possent enim tam multa addi
ad decem , & tam pauca ad viginti , ut fiant
numeri æquales , vel etiam ut decem supe-
rent viginti : si verò pariter addatur ad de-
cem & viginti (ut fieret in numero capil-
lorum & hominum , dum Deus constanter
per singulas æternitatis horas crearet homi-
nem & simul ejus crines) numeri isti sibi nun-
quam erunt æquales : dum è cōtra per singu-
las horas crearet unū hominem & unum An-
gelum, hi numeri sibi semper erunt æquales,
adeoq; infinita syncategorematica sibi erunt
æqualia vel inæqualia, verūm semper secun-
dūm collectiones finitas. Similiter dicere
quidem possum : tota æternitas , seu omnes
anni vel dies futuri , id est , plures & plu-
res & plures sine termino anni vel horæ ,
quale quid , & nihil aliud est æternitas ;
nō verò per hoc significando, quasi æternitas
intrin-

intrinsecam aliquam haberet totalitatem, secundum quam aliquando erunt aut esse possint omnes anni futuri evoluti; est enim totalitas hæc chimærica, adeoque hi anni futuri nec inter se, nec cum horis futuris comparari possunt secundum æqualitatem vel inæqualitatem.

V. Neque eadem absurdâ, quæ ex infinito categorematico, existente à parte rei manarent, manant ex infinito v. g. creaturis possibilibus existentibus objectivè in mente Dei; Etsi enim Deus possibilia, non per plures & plures cognitiones, sed actu, simul unicæque cognitione attingat omnia, actualitas tamen, simultas & totalitas hæc non tenet se ex parte objectorum seu creaturarum producibilium, quasi hæc sub una collectione cognoscerentur, multòque minus quasi sub una collectione cognoscerentur producibles; sed ex parte cognitionis divinæ: sub qualicet ita sint omnia, ut nullum possibile ipsi supersit cognoscendum, sive ut nullum maneat in potentia in ordine ad hanc cognitionem, nullumque sit, quod Deus distinctè non cognoscat, non sunt tamen ideo omnia collectivè, sive per modum unius determinatæ